622

1 130

QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18 Martii 1717.

M. JOANNE-BAPTISTA ENGUEHARD, Doctore Medico, Scholarum Professore, Præside.

An Victus pro tempestatum anni discrimine mutandus?

I.

VETUS quidèm at sana opinio est humani corporis naturam triplici genere partium constare, continentium, contentarum, & impellentium; solidarum integritas in debitâ compage, fluidarum in decenti copiâ, crasi, motu: τὰ ὁρμῶντα apud Hippocratem, habita nunc in ludibrium, aër; nullum in hac sensili rerum naturâ fluidum virtutis efficaciâ præstantius; primum omnis in corpore principium motionis; pondere & elaterio maximè pollet. A peculiari structurâ solidæ partes habent, ut influxu fluidi dimoveantur è perpendiculo, ut resiliant, ab aëre; dùm is non sincerus quidèm, sed tenuibus, quas è sanguinis penu sibi comites habet, particulis intricatus intrà fibrarum compagem, & intimos subit recessus, ibique coercetur ad motum, si comprimatur, paratissimus. Nonne & eodem perfusus sanguis comprimi docilis & rarescere jugiter in motus agitur intestinos? Hujus & illarum æquabili in se mutuo potentiâ, nisuque stat hominis vita, quæ dissolubili substantiâ cùm nitatur, tribus rebus tenetur, cibo, potione & spiritu; hujus indesinens, illorum periodicus tantùm usus est. Motu deteritur liquidum, motu restituitur; modus illius & finis est adjectio deficientium, & detractio redundantium: hos si limites transiliat natura, vel superfluis oppressa corruit, vel necessariis defecta contabescit: vim utramque pariter metuendam vitabit observator ætatis, temperiei, anni temporum præsertim, quorum vicissitudo, permutatio, multifariàm afficit naturæ vim, auget, minuit, & adjiciendo detrahendo parem efficit, aut imparem. Bonum est, si cui constet idem habitus, nec grave sentiatur corporis pondus, sed quædam cum functionum integritate conjuncta sit alacritas.

623

II.

HOMINI natura primitùs insita est ad extremos spiritus in opere faciendo constanter occupata; in ortu confusas explicat fœtûs partes, paulatim adauget, ad æquam magnitudinem ductas nutritii roris aspersione fovet, ac tuetur: spiritu præcipuè continetur motionum opifice, & nobiliore sanguinis portione summam coctione multiplici perfectionem assequutâ: utriusque concordiâ componitur quod calidum innatum appellant Medici, solidis primùm partibus infixum & hærens, deindè per arterias è corde quaquaversùm indesinenter effusum. Varias id annorum lapsu mutationes subit cæterorum omnium ritu, quæ fulciuntur rebus externis; primulùm accenditur micatque lentiùs, sensim invalescit, fervet acriùs, viget, labitur, marcescit, extinguitur: in horas malè perditur, infeliciùs instauratur; ruenti conveniens victus consulit, ex ejusdem virtute, motuque semper æstimandus. Sanguine nimiùm saturato ægrè depromitur, perficiturque pars illa nobilior cum spiritu sociabilis, purior & defæcatior; sanguis ipse spiritu lentiùs fervet impedito, difficiliùs circumfertur, secretio minuitur; calidiore victu & acriore tenuis eadem materies concitatior cum spiritu secedit ocyùs & uberiùs, undè corpori vigor quidèm, sed ad modicum tempus inest: simile damnum in cibo tenuiore; quorum celeres sunt coctiones, celeres pariter dejectiones. Justa requiritur inter nisum spiritûs, & liquidi molem, cui supponitur, proportio; vis agentis non exuperet, non obtundatur nimiâ fluidi copiâ, crassitie, aut tenuitate vividior ac ferocior existat. Ut summatim fames & sitis cibo & potui modum ponunt, sic usum multiplicem definit cujusque corporis observatio, temperiei, ætatis, ac tempestatum anni potissimùm, quarum vires sæpè nocituras cauta mutatio victûs obtundit.

III.

ANNUS ut sensim labitur, sic ferè hominis natura: quas ætatum decursu sponte subit alterationes, easdem pro vicissitudine temporum adumbrat singulis annis integrandas. Tempestatem definit certum motûs solaris spatium, quo insignis in aërem mutatio inducitur; hujus enimverò sanguis facilè particeps evadit. Mortalibus vitæ, & " morborum ægrotis author est aër.... si is aut plus, aut minus, aut " morbidis sordibus inquinatior sese in corpus inferat: superficiem ejus " premit undique circumfusus, elatere diverberat, diversimodè pro sui conditione mutat, laxat, remollit, densat, constringit: non alimentis modò demersus unà cum chylo fertur in flumen sanguineum, sed ipsum etiam indesinenter permeat pèr pulmones inspiratus, cum eo diditur quoquoversum in penitiorem partium compagem dilapsus. Æstuoso atque sicco cœlo sanguis rarescit aucto motu intestino, liquatur extenuatus, acer & mordax efficitur, laxatis undique partium spiraculis diffluit, & magnam utilis substantiæ jacturam patitur cum sero sece-

dentis; ſentitur Æſtate laſſitudo, acris eſt expiratio, liqueſcit moles corporis, ejuſque pondus & virtus imminuitur: ruinam moratur præcipitem victus, indole qui contrariâ motui ponat modum inteſtino. Frigidus aër habitum denſat, meatus conſtringit, cæcas coercet exhalationes, ſanguinem mole & viribus auget; propter extraneas, quibus ſcatet particulas, lentum facit, & viſcoſum, ſecretiones minuit. Autumnus inæqualis diverſimodè corpus afficit: Hyeme frequens plenitudo; quæ veris adventu gravis eſſe ſolet. Cæterùm quiſquis optimè temperatus eſt æquiùs quamlibet feret aëris intemperiem, quam intemperatus ſibi inſitæ ſimilem; quo fit ut naturarum & ætatum aliæ ad alia anni tempora benè vel malè habeant.

IV.

OPTIMAM partium ſolidarum diatheſim conformatione, ſitu, nexu, ordine, magnitudine, numero aptè convenientibus conſtitutam pro ſui naturâ tuetur integram, vel labefactat liquidum, quo corpus continenter alluitur: varia ſed enim & commutabilis natura ſanguinis, multiplex motus, æſtus, niſus, ſapor, temperies, concretio, ſolutio, ſecretio. Fluida moles ex diſcrepantibus conflata particulis omnium facillimè mutationes ſubit: principiis copiâ & facultate temperatis ſanum efficit hominem; copiâ vel facultate diſſidentibus ægrum. Quanta verò ad immutandum vis eſt in anni tempeſtatibus? quas inter Hyems aliquando viget, aliquando Ver, modò Æſtas, « modò Autumnus. Hyeme pituita in homine incrementa ducit... « cujus rei hæc argumenta ſunt, quòd homines expuant & emungant « pituitoſiſſima Hyeme. Per Æſtatem bilis in corpore ſurgit, & uſque « in Autumnum porrigitur; homines æſtivo tempore bilem ultrò vo- « munt, à Pharmacis bilioſiora purgantur, id ipſum probant febres & « calores, qui eo tempore corpora hominum occupare ſolent. Atra bilis « Autumno plurima & fortiſſima eſt. Quid fiet his mutationibus adjuncto victûs errore? alimentis enim & bilioſi quid ineſt, & pituitoſi, & melancholici, in alio plus, in alio minùs; horum unumquodque, cum exuperaverit, morbum facit, eòque magis, ſi quis ob ſimilitudinem temperiei, ſuſcipiendæ, quæ extùs advenit, mutationi paratus ſit; faciliùs enim feret aëris immoderationem quæ huic contraria eſt ætas, atque temperies. Æſtate & primo Autumno Senex maximè valet; Hyeme frequens catarrhus ſenile guttur opprimit; reliquo Autumno & Hyeme valent qui mediam ætatem agunt; æſtuant dùm Julius ardet: magnæ mutationi, magna in contrarium opponenda mutatio; quam quiſquis ſapienter inſtituit, integram diù ſervat, quæ optima eſt, temperiem, quæ prona declinat in vitium, intra naturæ modum coercet.

V.

QUANTUM à morbo diſtat ſanitas, curatrici tantùm præſtat Medicina conſervatrix: hujus prudens legum & ſtudioſus idem annos felices & multos omnibus procul morbis exiget. Seriùs luitur

625

aut tardiùs erroris pœna commissi. Victus ubi plenior, ibi nutritio parcior: curatum parcè corpus modico duratur & puro sanguine, luxuriosè pastum mollitur uberiore & lutulento: sanguis intemperantiæ vitio gravis sponte tumultuari & effervescere pernix rebus externis aëre præsertim ad exardescendum incitatur: quantò potentiùs movent anni tempestates soli exspirationibus, æstu, frigore, ventis, imbribus inordinatæ contagii plerumque feraces? iis de causis anno vertente fit acutorum concursio morborum, qui medentis curam requirunt eò diligentem magis, quòd eam, ni providus sit ac multùm celer, motu præcipiti ac violento sæpè deludant. Ut omnis in aëre & victûs ratione tutela sanitatis, ita morborum opportunitas; usus discrimen facit: raró percellitur qui victum ad diversas aëris metitur vires; Hyeme plus, at rariùs, nisi venter adstrictus est, assumit, minùs at meraciùs bibit: Vere paulùm cibo demit, adjicit potioni, paulatim transit à tenuioribus ad densiora: Æstate quia corpus cibo & potione sæpiùs eget, hanc dilutiorem, eum pariter sæpiùs at pauciorem adhibet, & qui caloris ardorem refrigeret: Autumnus propter varietatem periculo plenus; accedente fas est cibo aliquid adjici, at densiori quoque oportet aliquid demi. Hæ leges valentibus etiam retinendæ; sed & causariis eò magis omnis observatio necessaria, quò magis obnoxia offensis infirmitas est.

Ergò Victus pro tempestatum anni discrimine mutandus.

Proponebat Parisiis MICHAEL-LUDOV. VERNAGE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1717. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.